

incerto pauperibus dando (quomodo solet disponere cum iis papa, qui incerta incertis debent,) sicque pulverem alienum, qui pedibus suis adhæsit, excutiat. Alioqui: *O quam difficile est divitem intrare in regnum cælorum.*

III. Qui Deo servire vult, honorum sibi concessorum cautus et prudens dispensator esse debet: at o quam difficile est, eas sine peccato tractare et dispensare: certe non sine causa Dominus, ut dixi, spinis comparavit divitias, Luc. VIII. quia ut Theophyl. in epist. ad Tim. VI. ait: *Undequaque ubi ipse attigeris, innatis aculeis manus cruentant.* Clemens Alexandr. I. III. pædag. cap. VI. comparat divitias serpenti, quem si quis nescit inoffense eminus accipere et caute, is manu circumplicabitur et mordebit. Ait quidem David, Psal. LXI. *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Sed hoc o quam difficile! Si musca quod satis est, e melle tantum sugeret, rostro solo immerso, eo non inviscaretur; at quia plerumque tota insidet, mellis dulcedine illecta, eodem inviscata capitur. Ita si quis necessaria tantum e divitiis sibi sumeret, periculo careret: sed quia id difficillimum, ideo difficile divites intrabunt in regnum cælorum. Ejusmodi musca erat dives ille, qui dicebat, Luc. XII. *Anima habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare.* Interim mox audit: *Stulte hac nocte animam tuam repetunt a te, et quæ parasti, cujus erunt?* Non vetat Deus necessaria nobis etiam liberaliter e divitiis applicare, sed vetat nimium immergendi studium, id quod plerosque divites occupat. Cujus rei figuram habemus, Jud. VII. ubi Deus e decem millibus militum, eos eligi ad pugnam voluit, qui manu ad os projiciente aquam de flumine biberent, non qui proni instar canum et aquis immersi biberent. Et illorum quidem non plus quam trecenti sunt inventi; cæteri omnes proni pleno ore se prolebant. Ita nimirum inter decem milia divitum, vix trecenti sunt, qui una manu et moderate utuntur divitiis suis, nec totos se immergunt.

Difficillime etiam resistere possunt dæmoni, qui quo majorem circa eos comportat cumulum divitiarum, eo facilius eos expugnat. Quemadmodum enim Nabuchodonosor rex obtinuit Tyrum, mari undique cinctam, dum in mari comportavit aggerem, sicque ex insula fecit continentem, quam pedibus invadere et expugnare posset (uti legimus Habac. I. *Comportabit aggerem, et capiet eam;* ita etiam dæmon non difficile expugnat hominem, si ipsemet homo circa se divitiarum aggerem erigat, inde enim illum invadit, inde expugnat. Hinc idem propheta, c. II.

ait: *Væ ei, qui multiplicat non sua usquequo et aggravat contra se densum lutum?* Pauper quasi insula seu civitas undique mari cineta, difficiliter expugnata est: dives quasi peninsula, quæ e terra sine navibus expugnari potest. Paulo aliter D. Chrysost. ho. XIII. in Act. apost. idem omnino explicat: « Dives, inquit, nihil aliud esse videtur, quam civitas quædam absque muris in agro sita et undique insidiantibus exposita: paupertas vero e contrario securum præsidium est et expugnata difficile: » et hom. VI. in epist. ad Titum, c. III. « Quemadmodum, inquit, qui nudi fugiunt adversarium, nemo facile tenere potest, qui vero vestimentum post se trahit, eum quis facile apprehendit: eadem ratione et dives et pauper se habent; nam etiamsi pauper capiatur, fugere facillime potest: dives vero etiamsi non capiatur, suis tamen compedibus irretitur, curis innumeris et cogitationibus obstrictus. » Ita Chrysost. Igitur: *O quam difficile est divitem intrare in regnum cælorum.*

IV. Qui Deo servire vult, Deum in conspectu suo habere oculisque in eum intentis sedulo attendere debet, juxta id Psal. CXXII. *Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum;* id quod maxime fieri in oratione et contemplatione Dei ubique præsentis debet. Atqui dives hoc difficillime potest facere. Domino enim teste: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum,* Matth. XVI. Thesaurus divitis in arca est, cor ergo illius in oratione non est, unde nec ad Dominum Deum attendere potest, utpote aliis intentus. Ut enim nubes prætervolantes aspectum solis nobis eripiunt: ita divitiarum amore cogitationem Dei turbat. Pauper quasi sereno cælo orat, dives vero turbido. Hinc non inepte pinxit quidem divitem et pauperem orantes: et illum quidem cum plurimis lineis, quarum alia ad thesaurum ejus, alia ad prædium, alia ad segetes, alia ad cellam, alia ad liberos, alia ad familiam, nulla ad Christum tendit, hunc vero cum unica linea ad crucifixum tendente. Tali fere modo orabant Pharisæus et Publicanus, Luc. XVIII. Ille sui ipsius oblitus, nihil petit, solum se laudat, proximum aspernatur, meminit possessionum suarum: hic vero solum ait: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Unde S. Chrys. hom. XLVII. in Matth. ait: « Si intueris animam hominis, aurum amantis, invenies eam ut vestimentum a decem millibus vermium corrosam, ita eam perforatam undique a sollicitudinibus et a peccatis putrefactam et ærugine plenam. Verum non talis est anima pauperis voluntarii, sed potius fulget ut aurum, splendet ut gemma, efflorescit ut rosa. Non est

illuc tineæ, neque fur, neque sollicitudo negotiorum hujus vitæ, sed sicut angelus ita conversatur. O quam ergo difficile est divitem intrare in regnum cælorum! »

V. Qui Deo servire vult, vocatus ab eo adesse debet, sive ad pœnitentiam vocetur, sive ad perfectionem. Atqui dives hoc ægerrime potest. Ita enim excusant se, apud Luc. XIV. illi duo, quorum alter villam, alter juga boum quinque emit. Contra pauperes statim aderant, ex tempore licet vocati, et semel dumtaxat, cum divites iterato vocati renuerent. Vidit hoc et Democrates, apud Stob. serm. XCI. qui aiebat: *Uti vestes talares corpora, ita divitias impedire animas.* Nimirum amœnum ita viatorem sæpe retardat, ne in tempore ad urbis portam veniat et ingrediatur: at qui horrida loca transit, maturat iter et portam attingit. Corvus a Noe dimissus, non rediit ad arcam, quia cadaveribus insidens ingluvie detinebatur, ita dives de cadavere in cadaver, id est, de usura ad usuram, de lucro ad lucrum volitans valide impeditur, ne redeat ad gremium gratiæ Christi, in quem per baptismum ingressus est, et ex quo per peccatum advolavit. Exemplo est juvenis ille, qui Marc. X. cum servasset omnia præcepta, ob divitias tamen suas vocationi Christiani non respondit. Mirabile id quidem, superaverat is ardorem juventutis, iracundiam, vitæ libertatem, quæ ætati illi adhæret, hoc uno divitiarum vinculo liberari non poterat. E contra Petrus et Andreas, Jacobus et Joannes quia erant pauperes, statim absque mora Christum vocantem secuti sunt. Habent plerique divites alas quidem et velleitates ad sequentem Christum, sed visco implicate divitiis affixas: hinc illud in ecclesia toties cantatum: *Sursum corda,* frustra audiunt, quia cum evolare contendunt, decidunt, divitiarum visco et pondere præpediti. Igitur: *O quam difficile est, etc.*

VI. Quid Deo servire vult, continere se a vitis debet: at hoc o quam difficile est divitibus! Certe Ecclesiasticus, c. XXXI. dicere non dubitavit: *Beatus dives qui inventus est sine macula, etc. quis est hic? Et laudabimus eum, fecit enim mirabilia.* Quia enim dives omnis generis commoditates facile habere potest; inde seipsum extollere, alios vilipendere incipit. Quemadmodum equus Alexandri M. Bucephalus, cum nudus erat, quemlibet sessorem recipiebat, regiis vero ornatus phaleris neminem nisi Alexandrum admittebat, in reliquos omnes ferociebat, teste Plinio, lib. VIII. c. XLII. Ita prorsus pauperes, humiles et mansueti sunt; sed qui divitiis onusti, superbi, severi, rigidi et ad omnia vitia proni sunt. Ejusmodi erat Aman, Esth. VII. qui dum in gratia regis et summo honoris fastigio esset,

obterere Mardocheum volebat: hac gratia spoliatus, deprecabundus corruit super lectulum reginæ. Hinc Psal. LXII. dicitur de divitibus: *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum.* Ubi advertit Augustinus, pauperes peccare ex macie, id est, necessitate: divites vero ex adipe, id est, mera libidine et vivendi licentia. Unde interrogatus pauper, cui furetur respondet: Ex necessitate: dives vero, quia ibi vel ibi locorum habeat plures agros, quibus alienum etiam adjungi congruum est. Ubi fecit Achab cum vinea Naboth, III. Reg. XXI. divites non uno videntur equo ad infernum ire, sed mutatis identidem equis cursum eo properare: nunc equo gulæ, nunc superbiæ sonipede, nunc avaritiæ, nunc acediæ cabalis. Pauper quando ad orcum abit, uno forte equo vehitur, v. g. furto: cadente vel deficiente furandi occasione sistere cogitur. Non ita est cum divitibus; sed quia suppetit eis omnium vitiorum materia, totidem equis videntur ad infernum tendere. Ecce enim Luc. XVI. non dicitur, quid mali dives ille perpetrarit, solum dives fuisse dicitur, et interim tamen asseritur sepultus in inferno. Unde nisi quia plurium vitiorum quasi concitatis equis vehebatur? Induebatur purpura et bysso, inde orta superbia et mollietates: epulabatur splendide, macerabat, epulabatur quotidie, inde prodigalitas, neglectus pauperum. Igitur sufficit divitem esse iturum ad infernum; eo ipso enim facile acquirit sibi equos, quibus eo vehatur. E contra mirandum prorsus est, si non in omne genus vitiorum provolvatur. Si quis pauper mundinas transit; parum afficitur aspectu rerum pretiosarum, quas mercari nequit: at si dives quispiam transeat, et tot oculorum oblectamenta videns, nihil emat, id vero est mirabile. Igitur: *O quam difficile est, qui pecunias habent, introire in regnum Dei?* Deus opt. max. det divitibus suam gratiam, ut si divitias habent, in eis non confidant, eis non serviant; ed imperent, ut ita servire Deo possint, et æteras ab eo promereri divitias. Amen.

## CONCIO VI.

QUOMODO DIVITIE HABERI ABSQUE PECCATO QUEANT.

I. Si non quærantur cupide. — II. Si non valde letentur de acquisitis. — III. Si in ipsis non confidas vel extollaris. — IV. Si non ames sed spernas. — V. Si non servias sed dominaris illis. — VI. Si non valde afficiaris erga eas cum perdis. — VII. Si moderate iis utaris ad necessitatem.

## THEMA.

*Non potestis Deo servire et mammonæ.* Matth. VI. Beato Arsenio apparuit aliquando angelus

Dei, dicens: *Ades dum et ostendam tibi, quomodo se habeant opera hominum.* Eduxit ergo illum, et inter alia ostendit ei templum maximum, in quo duo viri equis insidentes, et maximum quoddam lignum transversum inferentes, sic quidem conabantur statim per portam ingredi, sed non poterant, quoniam, ut dixi, lignura ferebant oblique, neuter autem volebat id ex altera parte dimittere, et sic introducere. Refert Matthæus Raderus, H. p. viridarii ss. cap. IV. Quid sibi hoc ostentum voluerit, ego non difficile divinarem. Hæc enim agunt divites: grande inquam, lignum maltarum divitiarum gerunt in suis humeris, et cum isto ligno ingredi conantur per angustam cæli portam, cum tamen Dominus dicat: *Facilius est camelum intrare per foramen acus, quam divitem intrare in regnum celorum:* et in hodierno evangelio: *Non potestis Deo servire et mammonæ.* Quod vero intrare nequeant, sola illorum culpa est; quia videlicet lignum illud non apprehendunt, sicut debent: absolute enim loquendo, cum sano divitiarum usu patet aditus in cælum etiam divitibus, quod multa exempla docent pontificum et regum, aliorumque divitum. Qua igitur ratione arripiendum sit hoc lignum, quomodo tractandæ divitiæ, ut a cælo non impediatur, in præsentiarum videbimus.

I. Non impediatur si non quæras eas cupide, et primo, non ea intentione, ut dives fias; non enim damnant divitiæ, sed cupiditas habendi. Ideo Eccl. XXXI. dicitur: *Beatus vir, qui post aurum non abiit,* id est, non insectatus est aurum, non inhiavit auro: et apost. I. Timoth. I. non dixit: *Qui sunt divites;* sed: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, etc.* Separanda igitur imprimis cupiditas curaque anxia, sive in excogitandis quærendisque mediis ad lucrum novum, sive in utendis occurrentibus. Sic tecum ipse loquere: *Habeo quæ sufficiunt per Dei gratiam ad vitam juxta statum meum honeste traducendum: quorsum ero valde de his augendis sollicitus? Quid aliud est alia multa conquirere, quam augere curas, mentis tranquillitati multum detrudere, hæredum meorum fovere inertiam, vel profusioni materiam parare, ac denique magis magisque irritare, et accendere habendi cupiditatem? Novarum itaque opum ansam datam non negligam quidem, sed cum magna exultatione non admittam, nec negatam valde requiram, præsertim cum ejusmodi ansam jam domi habeam, parcimoniam videlicet; leo et felix unguis reconduunt in vaginam, et tunc solent, quando prædæ occasio est, eos exerunt: sed pauci e divitum numero tales, plerique unguis semper ad prædam expositos gerunt, et*

instar Judæorum undique lucra conquirunt: meditantur velut araneæ, quæ se eviscerando multa undique textit retia ad capiendas muscas: et in medio sedens expectat illaqueandas, et mox ad prædam accurrit irretiendam et jugulandam.

Secundo, si quæras ante omnia regnum cælorum, et justitiam ejus, post hæc temporalia: ita ut prima cura tua, et potissima detur cælo et justitiæ. Hæc enim est differentia inter justos et peccatores, inter eos qui salvantur, et eos qui damnantur, quod isti divitias a Deo acceptas tanti faciant, ut eas spiritualibus et æternis præponant, illi vero postponent: quemadmodum significavit patriarcha Jacob (ut perpendit S. Bern. serm. XIII. parvorum) cum prophético spiritu filiis benedixit, iisdem enim verbis utriusque benedixit, sed diverso ordine. Nam ad Jacob dixit: *Det tibi Deus de rore cæli et de pinguedine terræ:* ad Esau vero ordine: *In pinguedine terræ et in rore cæli desuper erit benedictio tua.* Etenim boni et electi divites, quærunto primario regnum cælorum, et justitiam ejus, seu ut Deo placeant; temporalia secundo, nec ob ista Deo serviunt. Contra vero reprobi temporalia primario, æterna secundo.

Tertio, si ita quæras aut accipias opes, ut Deum non offendas; seu quando absque peccato et juste acquiris et conservas acquisitas. Hic laudandus Fridericus imp. cum Ladislaum Hungariæ regem adhuc puerum protegeret, et in palatio suo educaret. Suadentibus enim quibusdam ut clam perderet puerum, quo illius opes et regna omnia consequeretur, respondit: *Ego sane non ita amo divitias, ut impiis consiliis persuasus, propter eas tam impium facinus attentem,* Aeneas Sylv. qui postea papa, Pius II. dicitur, l. III. comment. de rebus Alphonsi. Nimirum justissimus imperator noverat id Eccl. XXI. *Qui edificat domum impendiis alienis,* id est, bonis injustis, quasi qui colligit lapides suos in hieme. Quod expertus est Dionysius tyrannus, teste Aristotele, lib. II. de re famil. qui aurea amicuia et coronas sculptorum deorum sibi usurpabat, dicens per ludibrium se illis compati, quasi sub opere illo gementibus, daturum se leviora, amiculum album et virgas populeas. Sed ejusmodi facietis impietatibus obtinuit, ut tandem regno exutus, ludimagistrum agere coactus, et in balneo sedens omnium risui expositus fuerit.

II. Si non valde læteris de acquisitis; nam et hoc indicium erit, te non magni opes æstimare nec multum amare. Ita dives erat Job, qui c. XI. ait: *Si lætatus sum super multis divitiis meis, et quia plurima reperit manus mea, etc. pro fru-*

*mento oriatur mihi tribulus, et pro hordeo spina.* Noverat enim sanctus vir, et experimento didicerat, quam fluxæ essent opes. Bion Græcorum septem sapientum unus dicebat, fortunam divitiibus pecunias non dono dedisse, sed mutuo: quia quos modo evehit, cito deprimit incautos, Stob. ser. CIII. Id ipsum insinuat ac monet David, Ps. LXI. cum ait: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere,* q. A. si vobis quasi per fluxum aquæ veniant, nolite exultare, quia eadem celeritate defluent, qua affluerunt, sicut, v. g. in grandi fluminis inundatione, si ad domum tuam multa suppellex confluat, parum inde lætaberis, advertens. eandem una cum domo et supellectile tua brevi a flumine abripiendam et hauriendam. Certe, qui mutuo pecuniam accipit, non multum inde lætari potest, sed potius cum aliquo remorsu vel timore eam accipit, quia cogitat sibi restituendam non sine difficultate. Idem cogitet is, cui fortuna dat divitias. Quin et tristari potius deberemus, quam gaudere teste S. Gregor. quando magnum aliquod lucrum nobis obvenit, timentes ne forte hic velit nobis Deus dare mercedem, et non ibi.

III. Si in illis non confidas, nec superbas ut gloriaris, juxta id Eccl. XXXI. *Beatus vir, qui non speravit in pecuniæ thesauris.* Quod etiam faciebat Job dicto, c. XXXI. *Si putavi aurum, robur meum, et obrizo divi: Fiducia mea!* Idem indicavit Dominus, Luc. XVIII. dicens: *Filioli, quam difficile est confidentes in pecuniis in regnum Dei introire!* Et apost. I. Tim. VI. *Divitiibus hujus sæculi præcipe non sublimè sapere, nec sperare in incerto divitiarum.* Si enim non superbas de opibus, nec in illis confidas, eo ipso ostendes teillarum contemptorem esse. Et vero quis sapiens gloriatur de divitiis? Quid enim illæ nisi aurei compedes, quibus retinetur homo a sua libertate? Quid nisi mera sunt medicamenta et pharmaca, ad miserrimas hominum sublevandas adinventæ? At quis sapiens se jactat de multitudine emplastrorum, vel aureorum compedum? S. Chrysost. hom. I. in ep. I. ad Cor. pulchre comparat hominem superbientem in divitiis, masculo incedenti in altis crepidis, et erigenti se in altum. Est, inquit: *Quispiam altus statura corporis, alius autem cum sit brevis, acceptis calceis fit altior. Quem ergo vocamus altum et magnum? Annon eum qui ex se habet altitudinem? Ille enim hoc habet alienum; et iis, quæ sunt parva ascensis, sic fit altus. Quod multis accidit hominibus, qui pecuniis et gloria se efferunt, quod quidem non est altitudo. Est enim altus, qui nullis eorum indiget, sed omnia despicit, et a seipso habet magnitudinem.* » Sic ille

Vanissimum quoque est, confidere in divitiis: quia baculus sunt arundineus, qui cum aliquando fossa mortis transilienda est, neminem sustentabit, sed frangetur ac decipiet. Canutus Angiorum rex, cum ejus sortem, opes et potentiam adulatorum mire extollerent, dicentes omnia ad nutum ejus verti, fœdam adulationem repressurus, et terrenæ potentie imbecillitatem ostensurus jussit sedem regiam iis inspectantibus in littore maris poni in ipso ejus accessu et reflexu. Tum dixit: *« Tu mare, ditionis meæ es, et terra in qua sedeo, est mea: impero tibi et denuntio, ne in terram meam ascendas, nec membra nec vestem domini tui madore perfundas. »* Dixerat ille, sed mare tenorem suum tenebat, affluebat et regem madefaciebat. Tum resiliens: *« En inquit, quam ego omnibus imperito? Quin sciant omnes qui terram incolunt, vanam et falsam esse regum potentiam: atque unum eo nomine dignum, qui vere imperium habet cælo, terræ, mari, »* refert Tymp. in spec. magist. fig. LXVIII. Persuadentur multi divites, quasi omnia possint quia pecuniæ obediunt omnia. Sed si ita est, imperent quæso morti, ut ne ad ipsos accedat, eosque de mundo abstrahat. Nonne simili modo confundentur? Audient enim id Ps. I. *Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum.* Idcirco monet Dominus, Luc. XII. *Videte et cavete ab omni avaritia: quia non in abundantia cujusquam vitæ ejus est, ex his quæ possidet,* id est, non possunt divitiæ liberare hominem a morte, aut gehenna; quod mox probat exemplo illius divitis, qui in divitiis suis confidens, audivit: *Stulte, hac nocte repetunt a te animam tuam, etc.*

IV. Si non ames, sed condemnes eas, quas possides, saltem ut cor seu affectum non apponas, juxta id Ps. LXI. *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Nemo prudens qui natate nescit, temere se credit rapido et verticoso amni, ne ab eo abripiatur; dum vero opes affluunt, levi negotio secum hominem abripiunt: *In tentationem et laqueum diaboli et mergunt in interitum,* ut ait apostolus. Hinc Crates Thebanus vir ditissimus quondam projecit eas in profundum maris, dicens: *Itæ pessimæ divitiæ, præstat ut vos mergam, quam ut a vobis mergar.* Christus ipse cum omnibus abundare posset pro arbitrio ne quidem habere voluit, ubi caput reclinaret. Ad hæc Deus non frustra in terræ visceribus opes occultavit, velut sordes ab hominum oculis removendas et virorum honorum aspectu indignas, ac malorum dumtaxat delicias, juxta id Ps. XVI. *De absconditis tuis adimpletus est venter eorum.* Prisci auctores ut earum vilitatem ostenderent et con-

temptum persuaderent, litteris prodiderunt Ulysem donatum pretiosissima et odorifera veste a Calypso amica sua, rejecisse eam, ubi se expertus est in aquam prolapsus ab ea magis magisque demergi et gravari, nec enatare posse, Plutarch. leg. de vitanda usura. Hoc autem faciunt divitiæ. Alii virum magnum definierunt, qui eas infra se duceret ac poneret in minimis. Disputarunt philosophi, inquit Theophrastus, coram Philippo Macedone rege, quæ res est in mundo maxima. Dixerunt quidam, montem Olympum, alii solem, alii mare, intra quod terra natat. Postremus vero ac sapientissimus habitus respondit, animum terrena omnia despicientem et illis omnibus superstantem. Hujusmodi autem animus, maxime Christianis, pauperis Christi discipulis, et ad cælum natis competit, ut cum apostolo omnia terrena arbitrentur *ut stercora*, ad Philip. IV. Quod si Salomon Domino testante in hodierno evangelio cum omni gloria sua, auro vestitus et argento, non est tanti, quanti fenum agri; quis animum tam generosum et cor humanum apponat ad divitias, vilissimas terre glebas?

V. Si non servias iis, sed domineris, libere et libenter erogando eas in pios et laudabiles usus. Hoc enim requirit Dominus in hodierno evangelio: *Non potestis Deo servire et mammonæ*, inquit. Signum autem dominii est, quando herus mittit servum quo vult, et imperat ei quod vult; sicut dixit centurio, Matth. VIII. *Habeo sub me milites*, inquit, *et dico huic: Vade; et vadit: et alii: Veni; et venit*. Quod si ergo similiter animose imperes opibus tuis et dicas tuo marsupio modo: Vade et sustenta filium in studiis litterarum; modo: Vade ad domos pauperum ægrotorum, et refice esurientes; modo: Vade ad pauperulam ecclesiam, et adorna illam; idque tibi obtemperet, profecto tunc fatebor, ejus dominum te esse. Similiter si post datam eleemosynam ordinarie timeas, ne minus dederis quam oporteret, signum esse largitatis, dicebat S. Adelhardus abbas, apud Surium, tom. I. At vero si ipsa te pecunia tua mittat, modo ultra montes, modo ultra maria, modo ad has, modo ad illas nundinas pro lucro apportando: et si postquam nihil attulisti, vel eleemosynam largiorem erogasti, vel timeas ne plus dederis quam debueras: si inquam, pro his impingat tibi colaphos, torqueat te curis et in conscientia te objurget ac velut altera Dalila liget tibi manus, ne largiaris; liget etiam ac tondeat capillos ne de rebus divinis et animæ salute cogites, omnem vero cogitationem ad ipsam transferas, tunc sane manifestum est te subditum esse pecuniæ tuæ, ab eaque veluti Samsonem a Da-

lila sua tartareis hostibus tradendum. Scimus dixisse Dominum, facilius esse camelum intrare per foramen acus, quam divitem intrare in regnum cælorum: hoc tamen per Dei gratiam possibile, illico subjunxisset. Sed quomodo hoc possibile erit? *Camelus* Græce et camelus significat et funem nauticum crassum, que navem anchoræ sistunt. Et quidem Theodoretus existimat, de ejusmodi fune locutum esse Dominum; ut aptior sit parabola, et proportio ad acum. Jam vero quis negabit, funem nauticum quantumvis crassum, si in minuta dividatur fila, transire per acum posse? Simili ergo modo, si divitias tuas divides, partem necessariam tibi sumas, partem liberis reponas, partem egentibus divides, et cum Zacchæo dimidium vel bonam saltem partem des pauperibus, et si quid aliquem defraudasti, reddas ei quadruplum, vel ad minimum quod debes, quidni et tu cum ipso intrabis per foramen acus et angustam cæli portam?

VI. Si non valde afficiaris, aut tristeris, quando aliquo casu eas amittis. Id quod docet se S. Job, qui postquam liberos, greges et armenta, et propriam sanitatem perdidisset, semper tamen æquo fuit animo nec aliud dixit, quam: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum*. Eum secutus est S. Franciscus, qui patri contententi eum; exuere hæreditate, adjecit et pallium dicens, sibi per hoc ansam offerri tanto ardentius precandi: *Pater noster, qui es in cælis*: secutus S. Bernardus abbas, qui cum ducenta argenti pondera sibi ad impensas construendi monasterii missa, a grassatoribus intercepta fuisse audisset, gratias Deo egit, quod tanto se onere levasset, Marul. I. V. c. III. secuta Elisabetha vidua Thuringiæ principis quæ defuncto marito a propinquis ejecta cum parvis liberis, inops, egens, vaga, et ab ingratis contempta, patientissime id tulit, ac licet ad patrem regem Pannoniæ accerseretur, recusavit, adeo fortiter et constanter fortunam illam tulit, Conrad. in vita ejus.

VII. Si moderate et ad necessitatem tantum tuam illis utaris necnon ad alios laudabiles usus. Ita monet Sapiens, Prov. XXV. dicens: *Mel invenisti, comede quod sufficit tibi*, id est, moderate, ne forte satiatus emovas illud. Mel invenisti, cum opes acquisistis sed si immoderate eas devores, cave ne iterum evomere cogaris, sive per inopiam ad quam redigaris sive per morbos et immaturam mortem, quam ideo incurras, juxta ad Job. XX. *Divitias, quas devoravit, evomet, et de ventre illius extrahet eas Deus*. Id quod experti sunt Israelitæ, qui aurum suum stulte profuderunt in vitulum

conflatem: et inde nihil aliud quam mortem sibi mercati sunt, quando propterea triginta tres millia occisa sunt, Exod. XXXII. rursum quando in obsidione Jerosolymæ sub Tito aurum devorarunt et propterea a Romanis intercepti et dissecti sunt, ut vel mortui redderent, quod vivi deglutiverant. Vel denique evomet in inferno, quod fecit dives epulo, cum petiit guttam aquæ, et non obtinuit, sed pro ea audivit asperrimum illud verbum: *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua*. O quantum procul sauciatum hac voce pectus ejus? Nonne hoc erat evomere crapulam et dies bonos præteritos? *Mel igitur invenisti? Vide ne nimium comedas*. Muscæ quia communiter non delibant mel, sed totq corpore insident, eoque se quodammodo proluunt, ideo inviscentur et intereunt. Ita res habet cum divitiibus, qui si moderate delibant opes suas, non illaqueantur. Quin et in alios honestos usus erogandæ sunt divitiæ, velut aquæ fluentes de rivandæ ad irrigandos hortos et prata, in piscinas, molendina, fontes publicos, etc. non occultandæ in cisternis, ubi tandem putrescunt. Unde Sapiens: *Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas aivide*, Prov. V.

Hæc observate auditores, et procul omni Julio divitiæ vobis non oberunt, sed cum iis non difficile intrabitis per angustam cæli januam, quod nobis impertiri velit Deus.

## CONCIO VII.

QUARE VELIT DEUS SANCTOS ALIQUOS HIC FLORERE DIVITIIS ET HONORIBUS, ADEOQUE PROSPERARI.

I. Ne caduca bona putentur in se mala. — II. Ut ostendat Deus se etiam hæc minima nobis non invadere. — III. Ut erigamur ad querendum cælum. — IV. Ne desperarent divites. — V. In consolationem pauperum.

## THEMA.

*Non potestis Deo servire et mammonæ*. Matth. VI.

*Pugna inexorabilis est Christo*, inquit Palatius, in c. VI. Matth. *cum avaris, potentibus et divitiibus*. Ubicumque enim Christum in evangelio circa illos vel loquentem vel agentem video, semper intestinum ejus odiosum erga divitias invenio. In hod. evang. non proprio, sed alieno nomine eas vocat *mammonam*, et Deo contra ponit quasi hostem ejus infensissimum, imo malum demonem, Luc. XVI. adhuc magis odiose *mammonam iniquitatis* appellat, quasi iniquissimum *mammonam*, phrasi Hebræa, et Luc. VIII. *spinas*, Luc. XII. divitem quemdam *stultum* appellat, Joan.

II. cum in templo nummulariorum æs effudit, et mensas subvertit. Denique, nulli discipulorum præterquam Judæ tradidit oculos suos Christus, quasi abjectissimam rem abjectissimo et perditio homini. Jam si ita est: Quid igitur, aliquis, tot sanctos viros Deus divites esse voluit, honoratos, potentes, nobiles, qui etiam in vita, prospera utebantur usque ad obitum fortuna? Nonne in veteri lege dives erat Abraham, quem Scriptura teste, ob auri, gregum et armentorum, servorum et ancillarum copiam vix capere poterat, Genes. XIII. et XIV. Nonne divites et felicissimi, Jacob, Joseph, Josias et alii? In lege nova, nonne ditissimi, potentissimi et felicissimi Theodosius senior, junior, Constantinus M. Carolus M. S. Henricus imperatores? S. Ludovicus, Galliæ; Eduardus Angliæ; Wenceslaus Bohemiæ; Stephanus Hungariæ reges? Si Dei hostis, si cacodæmon, si spinæ, si stultitia sunt divitiæ: si effundendæ, nec homini probo credendæ: cur igitur eas Deus credidit tot viris sanctis? Cur eos in mundo florere, affluere et prosperari voluit? Non una est hujus rei ratio, sed plures, ut videbimus.

I. Primam dat S. Augustinus, ep. LXX. quia aduca bona: *Ne putentur mala, dantur et bonis*. inquit Augustinus. Fuere olim aliqui qui dicebant malum et illicitum esse Christianis opes et proprium quid possidere, adeoque neminem salvari posse, qui non apostolorum et religiosorum more pauper fuerit, ut refert S. Augustinus, in lib. de hæres. cap. XL. Unde et apostolicos se nominabant, sub eodem prætextu persequeretur Christianos Julianus imp. apostata, qui teste S. Greg. Nazianzen. orat. I. in Julian. leges ferebat, ne liceret Christianis magistratum gerere, in curia militare, provinciis præsidere, gladio uti, neque se defendere, si quando opprimerentur, cæderentur, aut bonis suis spoliarentur eo quod Christus ei præciperet, cædenti se in faciem præbere maxillam alteram, tollenti pallium præbere et tunicam, angarianti se ad eundos mille passus ambulare cum eo alia duo, presentia contemnere, humilitatem sectari, etc. Unde cum Christiani bonis suis injuste spoliati a præsidibus apud eum conquererentur, respondebat: *Vestrum est ferre cum afflictamini, hoc enim est Dei vestri mandatum*, Socrates, l. III. histor. eccles. Sozom. l. V. Quare ut ostendat Deus, opes nec in se malas nec prohibitas esse Christianis, si recte utantur, voluit consulto, vultque etiamnum aliquos etiam sanctos florere divitiis, dignitatibus, potestate et majestate. Alios ad imperia evehit, aliis opes accumulat, alios prosperitate secundat. Unde in ho-